

1481 1341 tiam, contraque antiqua fœdera, aliqua movere, nam & circa Comaclum salem fieri ab hominibus suæ ditionis permiserat. Cujus injuriæ ne postea auctor videretur, passus est, Venetis id postulantibus, ingentem vim salis, quæ ibi conflata erat, per Benedictum Trivisanum ad hoc ipsum Ferrariam missum, in proximos fluctus projici. Constatbat ad hæc, in vectigalibus solvendis Venetos sua antiqua immunitate fraudari. Sed hæc aliquanto leviora. Exerat circa Caput aggeris munitiones quasdam, quasi non alios fines habiturus, quam quos ipse statuisset. Novissime autem magistratu, quem Veneti ex fœdere in ea urbe habebant, gravi ignominia affecto, ut quasi impius ab urbis Antistite christiano sit cœtu exclusus, in aperi-
tissimam defectionem erupit. Patres interim non ignari quorsum motus illi tenderent, nunc per literas, nunc per oratores eum amice monere, ne pergeret Venetum no-
men, nil tale de eo meritum, hujusmodi injuriis a se alienare: quin Borsium, & alios suos majores imitatus, in antiquo Venetorum fœdere perseveraret, quod ei non minus tutum esset, quam honorificum. Eas adhortationes quum homo ingentis spiritus, & qui longe majores nova affinitate imbiberat, aversaretur, tentarunt Patres per Xy-
stum Pontificem illum in veteri amicitia retinere. Sed quum hac quoque via ingressi, parum omnino profecis-
sent, tum vero novis pristinisque injuriis, quas Othoma-
nico bello impliciti dissimularant, adacti, ad arma re-
spicere cœperunt, bello vindicaturi, quæ pacis studio ad
eam diem magis humane quam honeste tulerant. Tenuit
tamen ea consulatio plures dies. Erant ex senioribus Pa-
trum qui sentirent, *Nullo modo bellum Herculi indicen-
dum, non quia jure non deberet, sed quod alieno tempore
res tanta moveretur.* Monere illi identidem, viderent qui bellum vellent, ne ulciscendæ injuriæ cupiditate, in ali-
quod grave discrimen Rempublicam conjicerent: Fessam
dicere longo bello civitatem, fessas & vectigales urbes:
quiescendum quandoque ab armis esse, ne bella bellis se-
rendo, viderentur Veneti rerum omnium magis quam pa-

*Consulta-
rio de bello
Herculi
Æstens
inferendo.*